

**CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO**

M.A. Level Medieval Latin Examination

4 September 1996

Translate **ALL** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

1. Arthur learns of the giant of Mt-St-Michel

Interea nuntiatur Arturo quemdam mirae magnitudinis gigantem ex partibus Hispaniarum advenisse, et Helenam, neptim ducis Hoeli, custodibus ejusdem eripuisse, et in cacumine montis qui nunc Michaelis dicitur cum illa diffugisse, milites autem patriae insecutos nihil adversus eum proficere: nam sive mari sive terra illum invadebant, aut naves eorum ingentibus saxis obruebat, aut diversorum generum telis interimebat, sed plures capiebat quos semivivos devorabat.

Nocte ergo sequenti, in secunda hora, assumpto Kaio dapifero et Beduero pincerna, clam ceteris tentoria egressus viam versus montem arripuit. Tanta namque virtute praevalendo, negligebat contra talia monstra exercitum ducere, cum et suos hoc modo inanimaret et solus ad illa destruenda sufficeret. Ut igitur prope montem venerunt, aspexerunt quemdam rogam super eum ardere, alium vero minorem, qui non longe ab altero distabat. Dubitantes ergo super quem eorum habitaret gigas, Beduerum dirigunt, ut certitudinem rei exploraret.

2. A hymn on the Cross

- | | |
|---|---|
| <p>1. Ista suos fortiores
semper facit et victores,
morbos sanat et languores,
reprimat daemona;</p> | <p>2. Dat captivis libertatem,
vitae confert novitatem,
ad antiquam dignitatem
cruce reduxit omnia.</p> |
| <p>3. O cruce, lignum triumphale,
vera mundi salus, vale!
inter ligna nullum tale
fronde, flore, germine;</p> | <p>4. Medicina christiana,
salva sanos, aegros sana:
quod non valet vis humana
fit in tuo nomine.</p> |
| <p>5. Assistentes crucis laudi,
consecrator crucis, audi,
atque servos tuae crucis
post hanc vitam verae lucis
transfer ad palatia;</p> | <p>6. Quos tormento vis servire,
fac tormenta non sentire;
sed cum dies erit irae,
nobis confer et largire
sempiterna gaudia.</p> |

3. The magnificence of Salomon

Magnificatus est ergo rex Salomon super omnes reges terrae divitiis et sapientia. Et universa terra desiderabat vultum Salomonis, ut audiret sapientiam eius, quam dederat Deus in corde eius. Et singuli deferabant ei munera, vasa argentea et aurea, vestes et arma bellica, aromata quoque, et equos et mulos per annos singulos. Congregavitque Salomon currus et equites, et facti sunt ei mille quadringenti currus, et duodecim milia equitum: et disposuit eos per civitates munitas, et cum rege in Ierusalem. Fecitque ut tanta esset abundantia argenti in Ierusalem, quanta et lapidum: et cedrorum praebuit multitudinem quasi sicomoros quae nascuntur in campestribus. Et educebantur equi Salomoni de Aegypto, et de Coa. Negotiatores enim regis emebant de Coa, et statuto pretio perducebant. Egrediebatur autem quadriga ex Aegypto sexcentis siclis argenti, et equus centum quinquaginta. Atque in hunc modum cuncti reges Hethaeorum et Syriae equos venundabant.

4. The death and burial of Charles the Great

Sed accedente ad febrem lateris dolore, quem Graeci pleuresin dicunt, illoque adhuc inedia retinente neque corpus aliter quam rarissimo potu sustentante, septimo postquam decubuit die, sacra communione percepta, decessit, anno aetatis suae septuagesimo septimo, V. kal. febr., hora diei tertia.

Corpus more sollemni lotum et curatum et maximo totius populi luctu ecclesiae inlatum atque humatum est. Dubitatum est primo ubi reponi deberet, eo quod ipse vivus de hoc nihil praecepisset. Tandem omnium animis sedit nusquam eum honestius tumulari posse quam in ea basilica quam ipse propter amorem Dei et domini nostri Ihesu Christi et ob honorem sanctae et aeternae virginis genetricis ejus proprio sumptu in eodem vico construxit. In hac sepultus est eadem die qua defunctus est arcusque supra tumulum deauratus cum imagine et titulo exstructus.